PHILIPPI LUDOVICI HANNEKENII,

D. ET PROF. THEOL.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE JURE GRATIÆ PRINCIPIS CHRISTIANI, IN REOS NOXÆ CAPITALIS,

Von

Dem Begnadigungs-Recht eines Christlichen Fürsten, bey denen so das Leben verwürcket.

EX
SACRIS SCRIPTURIS ET VETERUM
PIORUM MORIBUS REPETITO,
QUAM
SUB PRAESIDIO AUCTORIS
PUBLICE EX CATHEDRA
DEFENDET
M. DAVID SCHULTETUS,
HAMBURGENSIS,
D. XV. NOVEMBR. MDCCI.

IENAE RECUSA 1736.

I. N. J.

PRAEFATIO.

UT juvare ſe Chriſtiani mutuo jubentur in operibus veræ pietatis, ne, quæ bona judicamus, pariant offenſionem, & quæ mala a nobis habentur, aliorum incommodent integritati. Ita omnino danda eſt opera in utramque partem, ut conſcientiæ ſua conſtet fiducia, nec quicquam a nobis doceatur, aut fiat, quo ſtatus noſtri coram DEO tranquillitas lædatur & conturbetur. Hæc Apoſtolus vocat τὴν λογι- Rom. XII,
κὴν λατρείαν, *qua nos vult non configurari ſeculo huic, ſed* 1. ſeqv.
transformari per renovationem mentis noſtræ (quæ non eſt imaginaria metamorphoſis) *ad hoc, ut probemus, quæ ſit voluntas DEI bona, accepta illi, ac perfecta*; *ubi ſapere debemus non ultra, quam oportet*; *ſed ſapere ad ſobrietatem, prout cuique DEUS partitus eſt menſuram fidei.* Ab inæquali illo talento eſt ædificatio piorum,

præsertim Ecclesiæ doctorum inter se, & alios, cum interpretationem Scripturarum tam in doctrina, quam deducenda inde vitæ praxi, profundius scrutantur, & ita conscientiæ suæ & aliorum, rite componendæ inserviunt; quod in quæstionibus maxime evenit inter Doctores controversis, quarum decisiones tutissimæ sunt, quæ fundamentis claræ revelationis nituntur, & testimoniis gaudent insignium orthodoxæ religionis doctorum. Quam in præsenti tractamus, & expeditam cupimus, quæstionem, *de jure gratiæ, seu poenæ capitalis claris legibus fonti dictatæ apud Christianum Magistratum licita remissione, & quæ hanc solet præcedere, aut comitari, de piorum, ministrorum præprimis verbi, pro fontibus decenti intercessione*, etiam maxime ab interpretibus Legum & conscientiæ diverso & adverso modo ventilatur. Ut & in ea explicanda firmare animum possimus, nec perturbato comiti, pleraque gementi, & tranquillitati animi vix quicquam relinquenti, similes fiamus; & ut Magistratui pio ansam demus ad jus suum, in remissione pœnarum capitalium, prudenter, fideliter, & cum fiducia exercendum, sententiam nostram proponemus, dicturi *primo* de piorum pro fontibus intercessione; *Secundo*, & geminoque capite, de licita pœnarum remissione; *Tertio* de Objectionibus doctorum rigorosorum, quæ sententiæ gratiosæ refragantur. Ducat nos Spiritus gratiæ & veritatis in omnem veritatem, ut & in hac causa ejus voluntati conformes conscientiam illibatam consiliis vitæ & actionibus supponamus, per JESUM CHRISTUM, Dominum, impios nos, sed pœnitentes, justificantem. Amen.

Rom. XII. 8. Hebr. XII. 12. 13. XIII. 7. 16.

Cap.

CAP. I.

De intercesſione piorum licita pro capitalium pœnarum reis.

§. I.

Apoſtolus gentium deprecationes pro omnibus hominibus jubet fieri; additur ratio, *quia omnes homines DEUS Servator vult ſervari, & venire ad agnitionem veritatis;* Miſericordia ſcilicet, ut divina virtus & efficax charitas commendatur omnibus, DEUM vero corde diligentibus, absque qua inanis eſt gloria dilectionis DEI. Magiſtratus vicem DEI tenet, hac virtute eum referens, qua afflictisſimis opitulatur. Inde ut coram DEO gloriatur miſericordia adverſus judicium & damnationem, ita absque miſericordia interiturus eſt, qui proximo ſuo miſericordiam denegavit. Hac parte maxime conſpicuam facit Jacobus Apoſtolus charitatem, ab omnibus, & præſertim illis, qui præcipuo nomine poſſunt, exercendam. Charitas pro miſeris intercedit, quos e miſeria, & ipſa judicis condemnatione, ereptos optat. Ita Paulus ad Romanos cum ſollicitum jubet eſſe τὸν προϊστάμενον, protinus ſubjungit, miſericordiam debere exerceri in hilaritate; qui enim rebus præſunt, maxime ita occupari tenentur.

1. Tim. II. 1.

Jac. II, 13.

Rom. XII, 8.

§. II.

§. II. Quoties Moses in immorigero & obstinato populo, in quem summus Judex jam destinaverat vindictam, non sine exauditionis gratiosæ fructu interpellavit? Et hoc quidem sub rigore legis, per tonitrua & fragorem ignis in monte Sinai perlatæ.

§. III. Cum postea Filius DEI, ex misericordis Patris sinu gratiam meram annuncians, apparuit, quæ & quanta est ejus pro omnibus peccatoribus, sub judicis ira & condemnatione constitutis, intercessio? Sed quid hæc ad intercessionem pro sontibus coram judice mundano? Scilicet ut ratio & causa facti cernatur in misericordia judicis supremi, qui & patitur intercessiones suorum, pro delinquentibus hominibus, & jubet suum sequi in diligendo proximo exemplum. Christus quidem sub pondere meriti sui intercedit; homines autem pro se invicem sub gratia sui Redemptoris, & ejus mandato.

§. IV. Verum est, quandoque a DEO repulsam esse pietatis illius virtutem, cum prohibebantur acceptissimi alias intercessores pro obstinatis in malo orare: Ast repulsa illa non fiebat fastidio virtutis, sed ut justitia divina, in recusantes morem gerere, se manifestaret, quæ atroci interitu vitam eripiebat malis, non constituto gratiæ termino, in incessanti regni sui cursu, sed ut vel in sensu pœnæ temporalis corrigerentur, quod docent exempla perempti undis primi mundi, & ignibus cœlestibus deletorum Sodomitarum, quæque sunt ejusmodi alia, ut fuse ostensum est alibi, contra insulsum errorem de gratiæ termino peremptorio. Ita & piorum pro nequam hominibus apud magistratum potest & prohiberi, & intermitti quandoque deprecatio; id quod sententiæ nostræ, de licentia ejus nil incommo-

dat

dat, quæ tam prudenter, quam pie est instituenda.

§. V. Audiamus, quæ Judex illustris Cæsareus *Macedonius* opponebat *Augustino*: *Officium Sacerdotii vestri dicitis, intervenire pro reis, & nisi obtineatis, offendi; quasi quod erat officii vestri, minime reportetis. Hic ego vehementer ambigo, utrum istud ex religione descendat. Nam si a Domino peccata adeo probibentur, ut nec poenitendi quidem copia post primam poenitentiam tribuatur; quemadmodum non possumus ex religione contendere, ut nobis, qualecunque id crimen fuerit, dimittatur; Quod utique, cum impunitum volumus, probamus. Et si constat, non minus autorem quam probatorem teneri in omnibus, quæ peccantur; certum est, nos culpæ societate vinciri, quoties eum impunitum esse cupimus, qui culpæ tenetur obnoxius. Tum præterea accedit, quod gravius est; nam omnia peccata videntur veniabiliora, cum is, qui reus est, correctionem promittit. Verum nunc, ut mores nostri sunt, & sceleris poenam cupiunt homines sibi laxari, & id, propter quod scelus admissum est, possidere. Pro his quoque interveniendum putat Sacerdotium vestrum, de quibus adeo futuri nulla spes est, ut etiam in præsenti eadem criminis ratio perseveret. Nam qui tam pervicaciter tenet, propter quæ crimen admisit, ostendit se ubi licentia fuerit, similiter peccaturum. Ob hac igitur consulo prudentiam tuam, & me hoc ambiguo, quo laboro, absolvi desidero; ne ob aliam causam consultum te putes. Coeterum hoc mihi propositum est, ut intercessoribus, præsertim talis meriti, qualis tu es, etiam gratias agam. Pleraque enim, quæ sponte facere videri nolo, ne remissio severitatis alios armet in crimina, opto bonis intercessoribus relaxare, ut quod lubens concedo, salva severitate judicii, alterius merito videatur indultum.* Quæ stylo Africano scite & ex media causa ingeniose prolata sunt.

Epist. 53.

Opponit *Macedonius* ſcrupulos ſatis grandes, qui & interceſſorem poterant a voto veniæ, & judicem a propoſito remisſionis dimovere. Dubitat *primo*, an ſit ex religione ſacerdotii, ejusque officio, intercesſio pro ſontibus; adducit rationem, a prima pænitentia (publica nimirum) poſt quam, ne diſciplina illa vileſceret, alia vix concedebatur. Quod igitur religio pœnitentiæ ſubtractum voluit crimen, ita arguit *Macedonius*, pro eo Sacerdotium nequit intercedere, ne quodcunque crimen, etiam poſt primam pœnitentiam repetitum, remittendum eſſe cenſeatur. *Secundo*, participare de crimine, ceu probatorem ejus exiſtimat, qui pro patratore ejus intercedit, qui cum impunitum eum cupit eſſe, id quod patravit non videtur improbare. *Tertio*, a corruptisſimis temporis moribus colligit, hominem criminoſum non agere veram pœnitentiam, qui data occaſione & licentia ad vomitum ſit rediturus, nec in tali poſſe peccatum veniabile cenſeri, pro cujus dimisſione judex oretur.

§. VI. Cæterum ſolvit ambiguitatem, & in tuto locat conſcientiam acutisſimus Præſul Hipponenſis, Epiſt. 54. *Nos inquit, qui te novimus, hæc quærendi gratia ſcripſiſſe, non decernendi, minime dubitamus, unde aliis tuis verbis, ad id citius reſpondemus. Tanquam enim nos hæſitare in hac quæſtione nolueris, aut prævidiſti, quid dicturi eſſemus, aut admonuiſti, quid dicere deberemus, & nil aiſti. Tum præterea accedit hoc, quod gravius eſt; Nam omnia peccata videntur veniabiliora, cum is, qui reus eſt, correctionem promittit. Antequam ergo diſcutiam, quid ſit illud gravius, quod in epiſtola tua ſequitur, hoc interim, quod dediſti accipiam, eoque utar ad molem hanc amovendam, qua noſtræ intercesſiones poſſe reprimi videbantur. Ideo*

quip-

quippe, quantum facultas datur, pro peccatis omnibus intercedimus, quia omnia peccata videntur veniabiliora, cum is, qui reus est, correctionem promittit. Hæc tua est, & hæc nostra sententia: Nullo ergo modo culpas, quas corrigi volumus, approbamus; nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum esse, quia placet; sed hominem miserantes, facinus autem detestantes, quanto magis nobis displicet vitium, tanto minus volumus emendatum interire vitiosum. Facile est atque proclive malos odisse, quia mali sunt; rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt; ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes; ac propterea culpam justius oderis, quod ea fundatur natura, quam diligis. Non est igitur iniquitatis, sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator: Morum porro corrigendorum nullus alius, quam in hac vita, locus est; nam post hanc, quisque id habebit, quod in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium. Noli ergo dubitare, hoc nostrum officium ex religione descendere, cum DEUS, apud quem nulla est iniquitas, cujus summa potestas est, qui non tantum qualis quis sit videt, verum etiam, qualis futurus sit prævidet, qui solus potest judicando non labi, quia in cognoscendo non potest falli; facit tamen, ut Evangelium loquitur, solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Cujus mirabilis bonitatis ut simus Matth. V. 44. *imitatores, Dominus Christus exhortans; Diligite, inquit, inimicos vestros, & benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis, qui vos persequuntur; ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, etc. Qui hoc præcipit, DEUS est, nec tamen hoc pacto societati jungitur impiorum, quibus & ipse parcendo,*

cendo, & vitam salutemque largiendo non utique sociatur. Consilium quippe ejus, quantum homini pio nosse donatum est, exponit Apostolus, dicens: *ignoras, quia patientia DEI ad poenitentiam te adducit?* Ad hanc volumus adduci, pro quibus intervenimus; non eorum peccatis vel parcimus, vel favemus. Nam quosdam, quorum crimina manifesta sunt, a vestra severitate liberatos, a societate tamen removemus altaris, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti, ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit. Quod si iniquis & scelestis ille parcendo, illis vitam salutemque largiendo, etiam plerisque eorum, quos novit, non acturos pœnitentiam, tamen exhibet patientiam, quanto magis nos in eos, qui correctionem promittunt, & utrum faciant, quod promittunt, incerti sumus, misericordes esse debemus, ut rigorem vestrum pro eis intercedendo, flectamus, pro quibus & Dominum, quem nihil de moribus eorum, etiam futuris, latet, non tamen impudentes, quia hoc ipse præcipit, oramus.

§. VII. Nolo plura ex contextu Epistolæ vere augustæ allegare; Repetam autem concise & aliquanto clarius, quæ voluit responsa Augustinus, & cætera addam, quæ noluit omissa. *Primo,* ex concesso *Macedonii* concludit; Si peccata omnia veniabiliora sunt, quæ reus promittit corrigere; ergo quibus promittit correctionem, illi licite pro illo intercedunt, imo officii ratione debent intercedere, ut correctio, quæ pœnitentiæ veræ fructus est, obtineatur. Neque enim

enim interire permittendus est vitiosus, si vitium intermittatur. Adeo non diligitur peccatum, sed homo, qui a vitio rectitudini est restituendus; quod est officium ministrorum verbi, & omnium piorum. *Secundo*, correctio morum est divinæ voluntatis, & maxime ministris Ecclesiæ commendata, qui invigilare tenentur, ut dum DEVS solem finit oriri & impiis, hoc agant sedulo, ne excussi via vitæ naturalis impii amittant tempus corrigendæ malitiæ, quod post hanc vitam nulli amplius patet. Ubi non valere dicit objectionem: Hac indulgentia multos abusuros ad majorem perniciem; cum ipse DEVS illa indulgentia præfulgeat; qua abutuntur mali, qui tandem, quod lenitate DEI nolunt reduci, experturi sunt fulmina irarum in die judicii, in quo nulla prorsus est pœnitentiæ intersatio. Numquid enim, inquit, *quoniam isti in sua nequitia perseverant, ideo DEVS in sua patientia non perseverat, perpauca in hoc seculo puniens, ne divina providentia non esse credatur; & multa servare ultimo examini, ut futurum judicium commendetur*? Rom. II, 8. *Tertio*, quia Magister ipse cœlestis mandat dilectionem inimicorum, illorumque commodis jubet consulere; qui observatione sanctæ illius jussionis tam habet alienos a societate malorum, quam ipse mandato suo sanctissimo est ab illis separatus. Matth. V. 44. 45. Non sunt autem inimici majores piorum, quam qui peccatis publicis corrumpunt, inficiunt mala fama communionem, & scandala præbent pravæ imitationis. Si in delicto privato est hostilitas per pœnitentiam condonanda, multo magis in publico, ut multi corrigantur, & ad pœnitentiam alliciantur, est condonanda. *Quarto*, ab exemplis judicum, identidem graviter lapsos absque pœna dimittentium, argumen-

 tatur,

tatur, ad comparationem Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ judicio civili dimissos non sinat esse absque gravi censura, ideo, ut parta pœnitentia reus coram Deo obtineat gratiam remissionis. Non esse igitur intercessionem ad tollendam omnem pœnam, sed ad procurandam eam, quæ animam servet in judicio DEI, ad quam servandam Christus venit in mundum. Nec hic reflectendum esse animum ad futuram impii vitam, correctane sit, an incorrecta futura, cum ipse Deus, cui futura sunt ex infallibili scientia, tanquam præsentia, non aliter æstimet peccatorem, quam secundum statum pœnitentiæ præsentis; quam considerationem nos vult sequi, qui de futuris male conjectamus; quæ in aperto est, & confessa veritas. Nec quicquam facere ad objectionis valorem docet, *indulgentia homines ita degenerare, ut non tantum incidant in eadem, sed in majora peccata.* Quoniam DEVS, qui patientia sua in regno gratiæ non fatigatur, solem etiam super tales sinat oriri. Denegationem humillimæ pœnitentiæ ideo comitari graviter peccantes, ut disciplina publica servetur, non negari autem privatim pœnitentibus DEI gratiam, & a peccatis absolutionem. Quis enim ausurus sit DEO dicere, *quare huic homini*, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere, erga istos non agi, quod Apostolus ait; ignoras, quia patientia DEI ad pœnitentiam te adducit. Et *Quinto*, A judicum humanorum conscientia, quæ suis etiam urgetur peccatis, ut mites conveniat esse in judicandis malis, qui ipsi debent expectare a summo judice peccatorum veniam. *Cum super peccatores* verba sunt Augustini, *tanta sit patientia, tanta misericordia*,

cordia, ut in hac temporali vita, moribus emendatis, non damnetur in æternum, qvi nullius, qvæ sibi præbeatur, expectat misericordiam, quoniam nemo est illo beatior, nemo potentior, nemo justior; quales nos esse oportet, homines erga homines, qui hanc vitam nostram, quantacunque laude, commendemus, eam sine peccato esse non dicimus. Arguit 1. Ioh. I, 8.
inde accurate, nec accusatorem, nec judicem carere peccatis, qui cogitata infirmitate communi libenter ferre debeant & defensorem & intercessorem, qui parium peccatorum tactu lubenter suscipiant ea officia mandatæ charitatis; ex *Jacobi Vto. Confitemini invicem* Iacob. V.
peccata vestra, & orate pro vobis! quas sibi humanitatis partes omnis homo, ubi possit, apud hominem vendicet, cum quod ipse quisque domi suæ puniret admissum, in alterius domo velit impunitum; & judices seculares identidem intercedant pro demenda reis censura Ecclesiastica; quod si fas sit fieri, non ut approbatoribus delictorum, sed ab humanissimis intercessoribus, nil esse causæ, cur & Episcopi non possint judicum gladio intercedere. *Septimo*, Quod ipse Do- Ioh. VIII. 7.
minus intercesserit apud homines, ne lapidaretur adultera; quomodo nobis commendaverit intercessionis officium, hac discretione, quod ipse faciebat terrendo, nos facere debere petendo; Sic tamen ipsum terruisse, ut omnes timere debeamus. Quis enim nostrum possit dicere, se esse sine peccato? *Octavo*, A consvetudine virorum bonorum; qui tanto sint meliores, quanto mitiores. Ubi bonum esse dicit, non qui careat peccato, ut solus DEVS sit bonus, sed cujus prævaleant bona peccatis, eumque optimum esse, qui minimum peccet. Unde dicantur iidem boni & mali; boni ob participationem gratiæ divinæ; mali

 ob

ob vitia infirmitatis humanæ. *Nono*, Clericos pro judicibus intercedere ipso actu intercesſionis pro fontibus; a quibus enim intendant obtinere misericordiam pro affligendis pœna, pro illis se DEO offerre, ut a suis peccatis liberentur; Indigere enim ipsos misericordia, quam præbent aliis. *De religione adeo descendere, satis inde confirmari docet, nec societate criminum obstringi, quod intercedant clerici etiam pro sceleratis, tamen pro peccatoribus peccatores, & quod veraciter potius, quam injuriose sit accipiendum, etiam apud peccatores.* Hæ intercesſionis licitæ, imo debitæ, sunt quandoque apud *Augustinum* causæ. Nec alias requiri, post tam solidas, existimamus rationes.

§. VIII. Diluo hic in coronide capitis unum, quod *Macedonius*, ob reverentiam erga Episcopum tantum videtur occultavisse, sed vulgo satis occentatur a judicibus capitalium criminum; Scilicet non esse eminentem Magistratus civilis auctoritatem interpellationibus officii ipsius infestandam, sapere eum suis functionibus, nec attinere has ad curam aliorum; quam curiositatem damnaverit Petrus Apostolus, cum homi-
1. Pet. IV. cidio & furto, quando ἀλλοτριοεπίσκοπον esse vetuerit. Cæterum intercesſione pro reis tam non involatur in Magistratus officium, quam non involatur defensione ipsorum. Competit officium suum judici, competit accusatori, competit advocato, seu defendat hic, seu excuset, alienet, aut deprecetur factum, quibus actionibus & intercesſioni suus locus est, absque judicis injuria; imo per licentiam optimi juris competit. Et cum judex urget condemnationem & mortem inquisiti ex rigore legum & justitiæ, Intercessor vitam desiderat & liberationem ex gratia misericordiæ & charitatis,

ritatis, quæ æque virtus summa est remittentis in crimine, ac est ex justitia condemnantis. Qui gestit audire justus judex, non potest detrectare esse gratiosus, ne summum jus vertatur in injustitiam. *Non decet Regem sæva & inexorabilis ira, non multum enim supra illum eminet, cui se irascendo exæquat; at si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus & meritis amittere, facit, quod nulli, nisi rerum potenti licet! Ita Seneca.*

§. 9. Et dicendum quod res est; Est intercessio pars officii Sacerdotalis, ut Levitici olim, ita maxime spiritualis inter Christianos, cujus auctor assertorque æternus est ipse noster Redemptor JESVS Christus. 1. Ioh. II, 1.
Eo opitulamur invicem alteri alteris apud eum, penes quem est jus vitæ & necis, seu DEVS sit ipse, seu locum ejus tenens, judex humanus. Est certe officium ministrorum verbi & hoc, ut consulant conscientiis totius sui auditorii, in quo primi sunt Principes & Magistratus, qui tam sunt informandi in praxi vitæ, cum jus dicunt, ne aut per rigorem omittatur misericordia aut per misericordiam negligatur disciplina. Oves 2. Tim. II, 24. seqq.
sunt Pastorum spirituales, quæ dirigendæ sunt pedo III. 2.
doctrinæ, monendæ, concitandæ, corrigendæ. Sic 1. Tim. II, 1.
commendatur mansvetudo intercessione illorum, ad conciliandam dilectionem *verbo* veritatis, & ut, qui liberantur a temporali morte, sic vivant, ne in æternam, unde nunquam liberantur, incurrant. *Prodest ergo & severitas vestra,* ita Augustinus ad Judices, *cujus ministerio quies adjuvatur & nostra; prodest & intercessio nostra, cujus ministerio severitas temperatur & vestra. Non vobis displiceat, quod rogamini a bonis; quia nec bonis displicet, quod timemini a malis.* Ad locum Epistolæ Pauli ita commentatur; *sicut dilectionem jussi sunt terrentibus debere, qui timent; ita dilectionem jussi*

 sunt

sunt timentibus debere, qui terrent; Nil nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate; & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Ita formidabitur ultio cognitoris, si nec intercessoris religio contemnatur. De intercesſione ſatis.

Cap. II.

De licita pœnarum capitalium remisſione in genere.

§. 1. Si recte habet intercesſio, justa etiam erit remisſio.

§. 2. Jus aggratiandi, quid significet? peculiariter competit Christiano Magistratui.

§. 3. Argumentum maximum a discrimine V. & Novi Testamenti, quo exſpiravit rigor legalis pœnarum.

§. 4. Ecclesia primitiva Christianorum nil novit de pœnarum capitalium necesſitate, quæ conversa erat in pœnitentiam publicam.

§. 5. Jus gladii in Magistratu civili, jus est Majestatis pro libertate exercendum.

§. 6. B. Ziegleri sententia.

§. 7. Princeps Christianus potest, & aliquando debet, pœnam capitis remittere.

§. 8. Dicta Imperatorum, & Seneca.

§. 9. B. Gerhardi sententia.

§. 10. Carpzovii JCti, Bachovii, Selnecceri, Dn. Fritschii ex Novella 69.

§. I.

Ex doctrina intercesſionis Chriſtianæ pro ſontibus pœnitentibus, colligenda oppido eſt pœnarum licita condonatio. Pro quo enim juſte interceditur, is juſte a pœna liberatur; licet non omnis juſta intercesſio gaudeat ſemper liberatione. Sunt enim cauſæ, cur, quod juſtum eſt, non concedatur. Imo recta eſt Advocati intercesſio pro reo ſuo, ſecundum officii recti rationem, licet injuſtum aliquando evadat,

dat, sin judex petitioni rectæ obsecundet. Distincta sunt admodum Judicis & Advocati officia, nec confundenda sunt opera misericordiæ cum justitiæ actionibus, ne hæc ab illis elidantur, tam sancte in scripturis fundatæ, quam sunt jussa exercitia charitatis. Profundius igitur hæc in tutamen conscientiæ, & infallibilem ejus directionem sunt introspicienda, ne dubitandi amplius & animo hærendi ansa supersit.

§. II. Cum quæritur inter doctores, *an noxa capitalis reo possit a Magistratu gratia pœnæ fieri?* seu, ut hodie exprimi solet quæstio; *An jus competat aggratiandi Magistratui Christiano?* Explicamus *primo* vocabulum *aggratiare*, quod ex re, non ex Latio desumptum, significat *ad amissam gratiam restituere*, seu data venia delicti, pœnam remittere aut imminuere. Aggratiat adeo is, penes quem est jus & potestas gratiæ & pœnæ; qui latæ legis auctoritatem habet asserendæ, tuendæ, vindicandæ. Apostolus vocat *potestatem supereminentem a DEO ordinatam*, ministrum DEI, & loco DEI in terris agentem, a quo obtemperantibus laus & gratia expectetur, inobedientibus autem ira & vindicta sit metuenda. Gladio enim armatum non temere, sed mandato DEI, ut ministrum esse, ultorem violatæ legis. *Deinde Jus* dicimus, Potestatem a DEO concessam, qua valet Magistratus ad leges tuendas & vindicandas; *Christianum* intelligimus Magistratum, non quod extra Christianismum ejusmodi potestas non sit, sed quod Christianus Magistratus habeat argumenta aggratiandi, quæ alius, extra Christianos, non habet, seu in gentilismo vivat, seu Judaismo; In quæ introspiciens auctor *Epistolæ ad Hebræos*, ita commendat, ex merito Servatoris præstito pro

Rom. XIII. 1. seqq.

Hebr. IV. 14. seqq.

pro peccatoribus exercitium charitatis & intercessionis pro delictis aliorum; *Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JESVM Filium DEI; hanc confessionem firmiter teneamus; Non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter, absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur*, (pro nobis & aliis) *& gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Ita & *Paulus* ad *Romanos*

Rom. IV. vs. ult. V. 1. seqq. scribit; *Traditus est Christus propter offensas nostras, & resurrexit propter justificationem nostram. Justificati igitur ex fide, pacem habemus erga DEVM, per Dominum nostrum JESVM Christum, per quem etiam fide habemus hunc aditum in gratiam hanc, per quam stamus, & gloriamur sub spe gloriæ DEI.* Et post pauca, *Commendat suam charitatem erga nos DEVS, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. Justificati igitur ejus sanguine servabimur nunc multo magis per eum ab ira. Nam si, cum inimici essemus, reconciliati fuimus DEO per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus. &c. Lex introiit, ut augeretur offensa; Sed ubi auctum est peccatum, superabundavit gratia; ut, quemadmodum regnaverat peccatum in mortem, ita etiam*

Rom. VIII. *gratia regnaret per justitiam in vitam æternam; per Jesum Christum Dominum nostrum. Capite VIII. eadem repetuntur; Nulla igitur est condemnatio in illis, qui sunt in Christo JESV, qui non secundum carnem incedunt, sed secundum Spiritum. Nam Lex Spiritus vitæ, qui est in Christo JESV, liberavit me a lege peccati & mortis;* & quæ sequuntur toto capite.

§. III. Ostendunt scilicet hæc fundamentum resolvendæ quæstionis, quando traditur Veteris & Novi

vi Instrumenti discrimen, etiam in eo, quod Lex cum suo rigore & mortifera disciplina viguerit usque ad Johannem, limitem V. & N. Testamenti; Gratia autem & veritas per JESVM Christum facta sit. Ioh. I. 17. Ablato adeo rigore disciplinæ, ad quem obligabantur diserto mandato in V. T. qui in Magistratu erant constituti, ne sinerentur vivere *Idololatræ*, *nominis sancti blasphematores*, *venefici*, *Sabbati violatores*, *immorigeri Parentum filii*, *homicidæ*, *adulteri*, & similes; Jam in Novo Testamento offendimus non tantum silentium illius rigoris exercendi, sed etiam disertis dictis exemplisque pœnæ mortis exemptos legimus, qui fide in Redemptorem JESVM, justitiæ divinæ præstitem, erant liberati. Ubi enim vel a Servatore, vel ab Apostolis pœnalis Legis acerbitas est repetita? Nonne Servator se docet missum, non ut damnaret, sed ut salvaret mundum? Nonne Apostoli spirituali sua disciplina cupiebant obtentum, non ut perderetur peccator, sed corrigeretur? Ideo adulteram Servator lapidibus in lege addictam absolvit sine judicio; Et *Paulus* post receptam fidem in Christum in suis Corinthiis non urget pœnas in injustis, scortatoribꝰ idololatris mœchis &c. Sed cum tales, fuerint in carne, jam ablutos, sanctificatos, & justificatos docet esse in Nomine Iesu, & per Spiritum Dei nostri. 1. Cor. VI. 9. seqq.

§. IV. Nec poterant tradi judici criminalium peccatores, qui lege veteri merebantur mortem, quia primitiva Ecclesia usque ad *Constantinum Magnum*, integris tribus seculis Magistratu caruit civili, ut omnes causæ, gravissimorum licet delictorum, tantum ab Episcopis & Senioribus communionis sanctæ judicarentur, absque ulla capitis pœna, non tamen sine severa Ecclesiæ disciplina, quam canones Synodorum vid. Cabassutius, Not. Eccles. Sec.

C anti-

II. diff. 8. Forbes. a Corse, Instruct. Theol. lib. XII. c. VI. seqq.

antiquissimarum patefaciunt. Erat ea pœnitentia publica multis gradibus definita, quæ in veniam ex gratia communionis dabatur, & per rigorem negabatur relapsis, ne vilesceret disciplina; Non negabatur tum fructus pœnitentiæ, seu gratia remissionis his, qui privatim post repetita peccata animo angebantur, serio dolentes & fide in Christum se erigentes. Huc pertinent ex *Concilio Ancyrano*. *caput vigesimum de Adulteris*; *si quis adulterium commiserit, septem annis in pœnitentia completis, perfectioni reddatur, secundum pristinos gradus, & caput XXI. De Mulieribus, quæ partus necant, & quæ utero conceptus excutiunt, antiqua quoque definitio est, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removeri. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus tribuatur.* Caput XXII. *Qui voluntarie homicidium fecerint, ad pœnitentiam quoque jugiter se submittant, circa autem exitum vitæ communione digni habeantur.* Similia inveniuntur *in Concilio Elibertino*, *de Idololatris*; *de domina, quæ ancillam per zelum occiderit: si quis per malitiam occiderit hominem, cui nec in fine sit impertienda communio.* Ubi *Franciscus Sylvius ad Caranzam* recte notat, non negare Patres illius concilii reconciliationem lapsis, sed sacram duntaxat communicationem, qui tamen rigor & postea ab Innocentio primo fit mitigatus, & a Concilio Nicæno canone XIV. quo statuitur etiam, *viaticum dandum esse lapsis in fine vitæ.* Res est ex historiis manifesta, noluisse Præsules Ecclesiarum quicquam negotiorum, Christianos attinentium, a judicibus gentium judicari, uti *Paulus* expresse facta ejusmodi improbat; Ita nulla crimina ad illos deferebant, quibus capitis pœna legibus divinis humanisque decreta erat, animabus delinquentibus censura

1. Cor. VI. 1.

spi-

ſpirituali ſat conſulturi. Peſſime egiſſent viri in Scripturis valentes, & pietati erga DEVM omnino deditì, ſi culpam ſanguinis dilui non poſſe in ſcripturis offendiſſent, niſi fuſo ſanguine delinquentis, & neglecta illa pœna, pœnitentiæ locum, pro remittendo peccato, dediſſent. De diſciplina Chriſtianorum *Tertullianus: Corpus ſumus de conſcientia & diſciplina veritate, & ſpei fœdere coimus in cætum & aggregationem, ut ad DEVM, quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis DEO grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad literarum divinarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmoneri cogit aut recognoſcere. Certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de DEI conſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegetur.* Severa illa excommunicationis cenſura capitalia delicta puniebantur, & publica demum pœnitentia expiabantur, methodo prorſus Apoſtolica, quam Johannes injungit, *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges*, admiſſione ſcil. peccatoris, hactenus peccatum non dolentis, in publicum cœtum, & communem deprecationem. Erat & Apoſtolis uſitata *traditio in poteſtatem* Satanæ ad carnem vexandam, *uti Jobo eveniebat* morbis, ſed ſalvandam animam; Ubi *Ambroſius* exacte tollit omnem difficultatem, quæ in expiatione & remiſſione Eccleſiaſti-

Apol. adverſ. Gen. cap. 29.

1. Joh. V. 16.

1. Cor. V. 5.

part. 3. oper. de pœnit. c. 9.

ca maximorum criminum, eorumque post Baptismum repetitione, contra *Novationos*, posset moveri.

§. 5. Postquam ad magistratus civiles doctrina salutaris pervenit, jam illi adsueti jus dicere secundum suas leges, pœnis corripuerunt sontes, quas violatione legum incurrerant; Inde *Paulus* ipsos gladium tenere dicit in terrorem malorum, ex divina ordinatione. Habent ergo jus puniendi, ex auctoritate divinitus delegata; habent & jus pœnam remittendi ex eadem, quod jus est majestatis, nec ex alio fundamento arcessi est necessarium. Qui jus majestatis habet in terris, tutamen legum vindictamque tenet, & pro re nata, nisi summus Legislator stricte pœnam demandavit, ut in Levitismo Judæorum, pœnam relaxat, aut prorsus remittit. Christiani Magistratus non est restricta ad certam pœnam & necessariam auctoritas, ideo jus aggratiandi plenum possidet, secundum statum liberum Novi Testamenti, non qui libertate gaudeat impunita facere scelera, sed qui fideli prudentia disciplinam custodiamque divinarum humanarum que legum gubernet.

Rom. XIII. 1.

§. 6. Beatus *Zieglerus*, cujus magnis meritis in rem literariam, totamque Saxoniam, post pia fata semper assurgemus, ita in hac causa lectorem informat; 1. Jus aggratiandi pertinere ad jura Majestatis. 2. In legibus suis, quas ipse posuit, Principem posse pœnam, pro lubitu, vel totam remittere, vel mitigare, pro causæ cognitione, cum cautela vitandæ προσωποληψίας. 3. In delictis, quorum ex natura constat turpitudo, quæque habent in scripturis sanctis constitutam pœnam, difficiliorem debere esse Principem, non quod lege DEI dictatas pœnas stricte debeat observare,

De iur. Mai. lib. I. cap. 8.

re, quæ ad Politiæ judaicæ forum pertinuerint, & in N. Test. sint abrogatæ, sed quod non sine urgente causa possit remittere supplicium mortis lege divina decretum. 4. Et ita ipsum, dum tamen caute & circumspecte agat, posse ordinariam pœnam aut in aliam convertere, & mitigare, aut prorsus tollere. *Posse enim quandoque tales subesse causas, propter quas etiam id, quod lege divina capitale est, ita leve efficiatur, ut non nisi a sanguinario Dracone capitaliter puniri queat. Et tunc recte asseri æquitatis temperamentum non in humanis tantum, sed & ipsissimis Decalogi legibus, a supremo omnium Legislatore latis obtinere, contra Lambertum Danæum.* lib. 6. Eth. Christ. cap. 5. 5. Inde fieri posse, ut homicidium pœna tantum pecuniaria puniatur: quod temperamentum tamen eveniat ex interpretatione legis, quæ Principi cum quovis judice sit communis, non ex majestatis jure. Ubi modesto dissensu vellem asserere, Principi proprium esse ex Majestate divinitus concessa jus aggratiandi, quod exseritur ipso facto sublatæ pœnæ: juris interpretes quoque concurrere cum sententia Principis, at vero in auctoritatis exertæ actu non concurrere, qui est solius Majestatis. 6. Disputat contra *Grotium*, nimis laxam in dispensationibus Principi relinquentem potestatem, qui contendat, naturam non præcipere, ut delinquentes puniantur, sed tantum non vetare. De Jure B. & P. lib. 2. Recte refutatur in eo *Grotius*, qui castigandus est maxime, quod necessitatem pœnæ negat ex jure DEI absoluto, methodo *Photinianorum, & Arminianorum*, prætervidens necessariam justitiæ divinæ præstandam satisfactionem, quam cum omnium peccatorum humanorum pœnas in se recipiendo præstiterit Filius DEI, passus pro toto mundo; jam DEVS in pœnarum

remisſione fidelibus Chriſti adeo paterne abblanditur, *ut nil exigat ab illis, præter fidem in Redemptorem, & vitæ correctionem, quam vera fides importat.* Et hæc eſt vera cauſa aggratiandi in Principe Chriſtiano, qui jure gaudet libero, quo Principes Judæorum non gaudebant, in capitalibus delictis ad pœnas dictatas lege DEI omnino adſtricti.

§. 7. Quæratur jam, an Princeps Chriſtianus poſſit pœnam remittere capitalem Peccatori, cui DEVS remiſit propter Chriſtum delictum? Nonne eſt reſpondendum ex præſtita Chriſti ſatisfactione, poſſe id non tantum fieri, ſed aliquando id fieri eſſe conſultum, & conſcientiæ Principis neceſſarium. Pœnitentes ſcilicet inter Chriſtianos ea abſolutionis gratia fruuntur, ut & in judicio DEI abſolvantur, & in humano poſſint abſolvi. Peroret hanc cauſam Scriptor *Vetuſtus. Filius hominis,* inquit, *damnatus eſt, ut liberaret damnatos, doluit ut ſanaret infirmos, timuit, ut faceret ſecuros, opprobria pertulit, ut improperia detrahentium non moverent electos; deputatur inter impios, quorum alter aſſumptus, alter reprobatus eſt; ut daretur exemplum, & forma indiſſolubilis manens in poſteros, quia nec in ultimis DEI clementia pœnitentes excludit, nec ulla hora ſera eſt, cui compunctio ſtricta occurrit; nec eos, qui vitæ ſuæ quocunque articulo temporis veri ſunt judices, iterum judicari; quia cum judicis & tortoris vices non parcens peccator aſſumit, ſemet ipſum perſequens, dum confeſſionem confuſione honorat, holocauſti hujus incenſio in conſpectu DEI veniam impetrat. Neque enim his id ipſum judicat & damnat; pœnitentes vero, quos a ſe ipſis ſuſcipit judicatos, abſolvit, neque judicio, quod pœnitentiæ humanæ ſeveritas protulit, aliquid juſtitia cœleſtis opponit.* Sicuti

De Paſſione Chriſti in adjectis Cypriani.

ergo

ergo DEVS pœnitentia peccatoris ductus omnem vindictam omittit; ita Princeps Christianus, divina imitatione, potest condonare pœnam per gratiam, quam condonare non poterat impœnitenti per justitiæ vindictam. Augustissimi *Imperatores* ipsi gloriantur de misericordia sua magis in sontes, quam de justitia in condemnatos; quos magis desiderant impunitos per gratiam, quam condemnatos per iram.

§. VIII. B. noster *Zieglerus* ex *Zonara* recenset, *de Constantino Magno*; quod clementem se ostenderit iis, qui pravam vitam dimisissent, dixeritque, *abscindendum membrum ægrotans ac putridum, ne sana contagio corrumpat, non id, quod sanatum jam sit, aut sanescat.* Quæ dubio procul ex Christianorum Episcoporum doctrina didicit. *Libro de pace Constantiæ*, ita sermocinatur *Fridericus* Romanorum Imperator: *Imperialis clementiæ immensa serenitas, mansueta, eam semper in subditis suis dispensationem favoris & gratiæ habere consuevit, ut quamvis districta severitate excessuum delicta debeat, & possit corrigere, magis tamen studeat propria tranquillitate pacis & piis affectibus misericordiæ Romanum imperium regere, & rebellium insolentiam ad debitam fidem, & debitæ devotionis obsequium revocare.* Hæc summa Principum virtus, & placito divini Numinis irradiata, quam & eruditæ gentes in viris principibus dilaudaverunt. *Seneca*, cum *Neronem* in primo quinquennio imperii admiratus, ipsi ut speculum domesticum vellet sistere, inter virtutes singulariter augustas & has computat: *Conditum, imo constrictum apud me forum est, summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est. Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo; sic* Lib. I. de Clem. c. 1.

me

me custodio, tanquam legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem euocavi, rationem redditurus sim. Nonne apud Principem Christianum impius ex sceleribus convalescens, solo nomine Christiani pœnitentis est futurus gratiosus?

§. IX. *B. Gerhardus Loco de Magistratu politico*, hoc ex præcedentibus a se dictis corollarium elicit,
§. 308. *Magistratus non posse nec debere quibusvis facinorosis supplicia capitalia penitus remittere, quod pugnaret cum Magistratus officio, cum regula justitiæ, cum incolumitate* Reip. *& cum manifesta ratione. Magistratus divina auctoritate gladium gerunt, ad vindictam exercendam DEI sunt ministri, ideo etiam de alieno non sint nimis liberales, nec nimia vel conniventia, vel lenitate, scelerum incremento ansam præbeant.* Deuter. XIX. 19. *Auferes malum de medio tui; non parcet oculus tuus.* Ex *Novella* juris civilis adjicit, Magistratum De Judic. §. oportet. *non debere esse lege ac jure clementiorem.* Quæ cuncta recte habent, cum exempla sunt necessaria explicandæ justitiæ; At cum in ministerio suo Magistratus non tantum inserviat divinæ justitiæ, sed & misericordiæ ejus minister & clementiæ assertor esse debeat, nulla causa est, cur aggratiare aliquando non possit sceleratum pœnitentem, & capitis ei pœnam remittere, castigatione alia substituta, ut maneat exemplum seriæ correctionis, & paterni pariter, seu pastoralis, in reductam ex errore ovem, animi. Optima adeo est Theologi inclyti regula: l. c. §. 309. *Quando lex admittit ἐπιείκειαν, & reus emendari sine duriori pœna potest, nec periculum aut damnum patitur humana Societas, nec cives redduntur exemplo deteriores, Magistratus clementiori sententia adversus reum uti potest.* Cui apponimus parallelam hanc; *Quando lex de voluntate supremi Domini, posito justi-*

justitiæ rigore, se gratiæ submittit, & misericordiam pro peccatore finit agere, humana societas clementiæ temperamento multum juvatur, cives peccatis pavidi animantur in exemplum pœnitentiæ, & reo tempus datur in veram correctionem & emendationem.

§. X. Inter optimos juris divini humanique interpretes maxime numerandus, *B. Carpzovius*, de venia pœnæ a magistratu concessa, huc pertinentia hæc habet: *Magistratus illi, quibus regalia ac jura territorialia competunt, ut sunt Principes, Comites, Civitates, aliique status Imperii, ex absoluta potestate, criminis admissi gratiam facere, reisque pœnæ veniam indulgere queunt.* Explicat deinde regulam, quod jus aggratiandi sibi summus Princeps, seu Dominus territorialis, reservaverit, ut benignitatis & clementiæ laudem apud populum possit consequi; *Ex clementia enim Principes veram gloriam possidere, vocarique populi Parentes, Liberatores, pios, justos, pacificos, quæ virtus DEO æquet* Hinc usurpatum olim fuisse, ut solo interventu Principis supplicium irrogandum fonti ultimum cessaverit, judicatumque esse amplius, ne Principes damnatorum suppliciis interessent. Observatum esse sub *Augusto, ne Supplicium de quoquam sumeretur, quoties ille urbem introiret.* Vult tamen limitatam regulam; *In delictis lege divina severe prohibitis, veluti sit homicidium, adulterium, blasphemia, Sortilegium, Sodomia,* quorum criminum reos jus divinum jubeat morte plectere, *Summum Principem supplicium ultimum absque causa sufficiente remittere non posse. Quæ intervenerit consvetudo Principum, rigori legum divinarum, qua & in doloso & deliberato homicidio reis veniam indulserint, eam interpretibus juris utriusque summopere*

Part. 3. Ver. crim. 4. 150.

D

pere displicuisse. Quam merito displicentiam tenuerunt Doctores, sin absque sufficiente causa remissio est facta. Cum sufficiente autem ipse *Carpzovius* fieri posse concedit. Et quæ pietas in Christiano Magistratu non circumspiceret prægnantem causam, in tanti criminis remissionem? Si quæratur (ita Bachovius) de atrocibus delictis, quæ communis etiam ratio morte multare decernit, expeditissima responsio est, jure quidem potestatis poenam remittere posse Principem, *sed si sæpius & temere id faciat*, graviter eum peccare &c. B. *Selneccerus, Eine jede Obrigkeit soll diese* Regul *mercken; wann das Gesetz an ihm selbst eine Lindigkeit zuläst, und billige* exception *und* dispensation *leidet, und darnach der schuldige Thäter ohne harte und grosse Straffe kan gebessert werden, und auch das gemeine Volck durch die Lindigkeit und Erlassung der Straffe nicht geärgert wird, so soll und kan eine Obrigkeit mit GOtt und mit gutem Gewissen wohl Lindigkeit fürnehmen, und brauchen.* Conferatur *Novella LXIX. cap. IV. §. 1. Qua solus DEUS & Imperator* (seu Princeps) *DEUM sequens*, introducitur, qui in poenis decernendis *gubernare mediocriter & mansuete valeat. vid. Dn. Fritschius in Principe peccante.*

Ad Treutl. vol. 2. s. 39. th. 3.

B. Selneccerus comment. in Ps. 101.

Novella LXIX. c. IV. §. 1.

Dn. Fritschius in Princ. peccante. cap. 3.

CAP. III.

De argumentis juris gratiæ exercendi infallibilibus.

§. 1. Principes Elohim, DEI loco jura dicunt.

§. 2. Argumentum primum, a statu Ecclesiæ Christianæ, qui gratiæ status est.

§. 3. Argum. secundum, ab affulgen-

§. I.

EX supra dictis constat, Principi aut Magistratui, cui Majestas competit & jurisdictio territorialis, competere, DEO auctore, jura Majestatis in præmiis & supplicíis pro arbitrio decernendis, & competere adeo jus gratiæ seu aggratiandi, quod dicitur. Regunt enim Magistratus mundani subjectum populum ut Dii, pro DEO, qui dicuntur *Elohim*, quod nomen plurale est, designans in uno DEO plures personas, quas fides Sanctorum utriusque Testamenti, numero ternario ex revelatione infallibili, ut mysterio salutis humanæ necessaria, computat. Ita Moses, Aaroni & populo, in Elohim dabatur, cum jure Regiæ Majestatis, qua & Pharao compelli in dimissionem Israelis, & totus populus gubernari divina auctoritate debeat. Qui successerunt Mosi Judices Regesque postea Elohim fuerunt. Voluit certe DEVS in electo sibi populo monstrare auctoritatem omnium in mundo regentium, suo loco inter homines ordinatorum, & sic honorandorum, ut tranquilla sit in multitudine vita, punitione malorum, & bonorum commendatione. Ita DEVS inter homines visibili hominum præsidio præsens est.

Psal. LXXXII. 6. Ioh. X. 34.

2. Chron. XIX. 6. Devt. I. 17.

Agit Magistratus pro DEO, seu pœna afficiat, seu gratiam veniamve impertiatur. In Principum virtutibus principatum tenet clementia, qua judicantur DEVM magis exprimere, quam vindicta. Quandoquidem
Matth. V. 44. seqq. & DEVS, lubentius parcit, quam punit, qui se ut Patrem benignum a filiis suis vult respici, nec tantum in amicis, sed & inimicis, cum amore tractandis, imaginem suæ bonitatis commendavit. Hoc gratiæ jus in potestate principatus sui Rex David liberaliter exercuit, licet sub V. T. severitate legali constitutus, cum Thecoenæ mulieris filium fratricidam a pœna mortis ab-
2. Sam. XIV. solvit. Christianorum magna hic est, præ alienis a a salutari religione Principibus, prærogativa, tum, quod attinet informationem divinam, tum quod argumenta sui status, quibus moveri debent ad exquisitissimum exercitium charitatis, ut & in potentia sua, qua pollent, eam largissime præbeant conspiciendam.

§. 2. Sit igitur argumentum *primum* aggratiationis Christianæ, ab *ipso statu Ecclesiæ Christi*, qui ut gaudet in suo Magistratu jure regendi populum, quod & in exteris reperitur, ita peculiaribus instigatur charitatis jussionibus, ut gratiam delictorum possit pro potestatis suæ libertate peccantibus, imo aliquando debeat, facere, & teneatur; Nec ullum hic est excipiendum capitale delictum, licet crebro repetitum, quod gratia hominum majus sit; Cum nullum reperiatur in via-
Rom. V. 17. seqq. tore, quod gratiam divinam possit superare: *Estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuo, si-*
Eph. IV. 32. *cut & DEUS in Christo condonavit vobis.* Quis audeat
Epist. LIV. DEO dicere, verba *Augustini* transscribo, *quare huic homi-*

homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere, erga istos non agi, quod ait Apostolus: ignoras, quia patientia DEI ad pœnitentiam te adducit? aut istis exceptis, esse definitum, quod scriptum est; Beati omnes, qui confidunt in eum? aut ad istos non pertinere, quod dicitur; Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Dominum? Cum igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia DEI, ut in hac temporali vita, moribus emendatis, non damnentur in æternum, qui nullius, quæ sibi præbeatur, expectat misericordiam; quoniam nemo est illo beatior, nemo justior; quales nos esse oportet, homines, qui hanc vitam nostram quantacunque laude commendemus, eam sine peccato esse non dicimus? Gratiæ regnum Christi Servatoris, donec mundus est, durat, usque ad initium regni gloriosi, quo demum vindicta justitiæ in incredulos se manifestabit. Sacerdotale hoc est Regnum, satisfactionem habens pro omnibus hominum peccatis, & meritum remisſionis omnium, minimorum maximorumque, delictorum, cum intercesſione incessanti apud Patrem sedentis in throno Majestatis Regis nostri. Nemo infinito huic merito & intercesſioni efficacisſimæ audeat facere exceptionem peccatorum atrocisſimorum, nec legibus priscis dictatas necessarias pœnas, quas melioris testamenti Mediator in se, Veteri prorsus antiquato, susceptas elisit, ut nec necesſitate mandati prisci necessario imponantur, nec a patientibus recipiantur. *Mutato enim Sacerdotio, necesse est, ut legis quoque mutatio fiat; Tanto potioris fœderis Sponsor factus est JESUS, qui manet in æternum (veteribus Sacerdotibus mortuis & sublatis) perpetuum* Heb. VII. 12. seqq. VIII. IX. totis.

 ha-

habens Sacerdotium; unde ſervare prorſus poteſt, (quod nequibant Levitici, exemplari & umbræ rerum cœleſtium ſervientes) *eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens, ut interpellet pro eis, præſtantioris fœderis interceſſor, quod præſtantioribus ſit ſancitum promisſis. Ero enim propitius iniquitatibus ipſorum, & peccatis eorum, & iniquitatum ipſorum non recordabor amplius.* Quod fiebat lege priſca, quando rigoroſa erat dictatarum pœnarum in peccatores exactio, ab ipſo etiam Pontifice in ſontes expedita. At Novi Teſtamenti Sacerdos & Rex, uti ſacerdotio ſuo intercedit pro peccatoribus, ita ut Rex validisſime peccata dimittit, ut illorum amplius non recordetur, omni culpa & pœna deleta. In Veteri Teſtamento ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata non poterat; In N. autem ſanguis Filii DEI ſuſtulit omnia, & una oblatione conſecravit in perpetuum eos, qui
Hebr. IX. 14. 38. V. 2. ſanctificantur, fide in Chriſtum, infirmitatibus noſtris compatientem, conſiſtentes, purgatos conſcientia ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo vivo: *Compendiatum* eſt,
Tertull. lib. IV. adverſ. Marcion. *Tertulliani* judicio & ſermone, *novum Teſtamentum & a legis lacinioſis oneribus expeditum.* En ſtatum gratiæ Novi Teſtamenti, qui non poteſt non ſcatere mera charitate DEI, erga homines peccatores,
Eph. IV. 32. & horum invicem in ſe; Quos inter, qui regnum tenent cæterorum, & exemplo ſuo prælucere ſubditis ſibi debent, & opitulari omnino charitate ſua, ut qui a tramite recti & vitæ exerraverunt, per pœnitentiam in viam revocentur, non eam, quæ finiat vitam violenta morte temporalem, ſed quæ deducat correcti-
Heb. XII. 14. onem malorum morum in ſanctificationem; absque qua nemo viſurus eſt DEVM in vita Beatorum. In regno gratiæ charitas conſulit diſciplinæ.

§. III.

§. III. Testamentum vetus tenebat rigorem pœnalem, quia legibus coercendus populus duræ cervicis non poterat nisi proposita pœna, & diserta executione ejus contineri, nihilominus exorbitans semper, & in gentium abominanda discurrens; Deinde quia Heb. X. 82.
sub umbra vivens populus futuri Testamenti, sangvine Filii DEI sanciendi, manuduci in eum futuri prospectum necessario non nisi dura manu poterat; Hinc Act. XV.
illæ fidelium de importabili jugo querelæ. Interea sub umbra illa & severa admodum manuductione delitescens gratia, etiam in pœnarum rigore exacto se prodebat, ut manifestum fieret, legalem adactionem etiam in gratiam gratuitam prospectare, & *nolle DEVM omnino*, etiam in comminationibus & irrogationibus legalibus, *mortem peccatoris*, sed ut victimarum fide, in Ezech. XVIII. &
futuro Redemptoris sacrificio recumbente, *convertatur* XXXIII.
& vivat. Igitur &, ubi lex vindictam acutissimam requirebat, gratia tacite interfans, noluit aut omnem *adulteram*, cum maritus Zelotypus taceret, aut *homicidam*, per unum testem manifestatum, aut *ignoti percussoris* factum, aut *domini in servum aut ancillam homicidium* privatione vitæ vindicari. Sufficiebat omni isti & voluntario sceleri expiando sacrificium, quod offerebatur absque facti manifestatione, in censu eorum, quæ occulta dicebantur. Conferatur historia sa- 2. Sam. XIV.
pientis fœminæ Thecoenæ, cui Rex jurabat, fratricidam filium non debere mori. Neque enim unquam prisca severitate DEUS voluit obligatos peccatores, ne, nisi scelerum suorum manifestatione, vellent salvi esse. Mandatum observandi Sabbathi quanta cum minarum violentia repetebatur? & nihilominus DE-

VS,

VS, & in V. T. violationem ejus creberrime non vindicavit, & tandem in N. T. sustulit dierum determinatam sanctificationem, quæ in cultu publico pro Ecclesiæ auctoritate libere applicatur. Sunt certe & in V. T. clarissima gratiæ in peccatis criminalibus concessæ indicia, & nunc in Novo, cessantibus causis rigoris, cessat pœna rigorosa.

§. IV. In Novo Testamento silet rigor legalis, & nusquam reperimus, Magistratui eundem esse repetitum. Armatum gladio offendimus, in terrorem malorum, eique obedientiam in omnibus præstandam esse, propter conscientiam, non contra eam; Sed mandatum necessario puniendorum omnium, licet serio de atrocibus delictis pœnitentium, non reperimus. De I. B. & P. lib. II. c. XX. Recte vario eruditionis apparatu & ingenii donis excellentissimus *Hugo Grotius*, asserit, Lege Mosis, quæ in his rebus quamdiu steterit Resp. stare debuerit, Magistratibus rigide fuisse imperatum, ut homicidia, & alia quædam crimina punirent. *Et testatum esse Christum, se nihil legis tollere. Præcepta igitur Legis cum lege Mosis, quatenus supplicia etiam capitalia irrogaverit, & cum humanis legibus, divinam hac in parte imitantibus, consistere potuisse.* Cæterum fallitur *Grotius* de novitate Legum Christi; nec introspicit ejus officium, qui venerat ad legem implendam, non solvendam, nec ad ferendam novam. Manet adeo etiam sub Christo Legi divinæ sua integritas & obligatio. At cum Christi impletione pro peccatoribus Lex in rigore pœnarum conticuerit, Magistratus causas veniæ & remissionis contuens, servat jus suum, Christo conformis, etiamsi peccantibus gratiam pœnæ largiatur.

Non

Non contrariantur sibi lex & venia pœnæ, sin lex impleta non potest curare peccatorem, quem pœnitentem gratia absolvit. Commendata igitur summa DEI in N. T. lenitas, secundum analogiam verbi, non est de nihilo, ut sentit *Grotius*, sed opponenda est rigori pœnali, qui in N. T. non amplius urgetur. Negat ille pœnitentia ductis dandam esse impunitatem, cum *hominibus vix possit de pœnitentiæ veritate constare; nec quemquam non impune sua facta laturum, si eam quovis modo profiteri sufficiat; DEUM ipsum etiam non semper pœnitentia ductis omnem remittere pœnam, quod vel Davidis exemplo appareat.* Tria sunt, quæ opponit porro 1. Non constare posse homini, in Magistratu constituto, de *pœnitentiæ veritate.* At condonatio peccatorum etiam a ministris Ecclesiæ; & aliis bonis Christianis expectanda, non arcessitur ab infallibilitate pœnitentiæ, sed a veritate, quæ creditur esse in verbis & signis poenitentis; alias apud homines nulla posset esse remissio peccatorum. Pœnitentiam, quæ creditur, jubet Christiana charitas sperare, quæ nisi interveniret actionibus pietatis, vix possent teneri opera charitatis. 2. Urget *spem impunitatis ulterioris in maleferiatis.* Responderet *Augustinus*; Non ideo fore DEVM injustum, si condonet pœnam pœnitenti, postea relapsuro, licet relapsurum ceu præsentem sciat. Sed cum spes veniæ & alios impœnitentes attrahat, ut est ipsa huc ductrix gratia DEI; cur non sit venia danda magis propter hos, qui boni sunt futuri, quam neganda gratia propter facinorosos, contra spem pietatis nostræ se veniæ ingesturos? Ordo DEI est, pœnitenti gratiam largiri; si relabatur & pœniteat rursus, recipere eum jubet

Conf. August. epist. 54. p. 247. Edit. Reinharti.

iterum; & licet implicetur novitas vitæ in pœnitentiæ veritate, non tamen eliditur pravitas naturæ, in relapsum novum pronæ. Hæc novitas pertinet ad vitam futuram, cum pravitas naturæ, per regenerationem resurrectionis, cum ipsa morte est interitura. 3. *Remissa culpa remanere pœnam*, ex superstitioso sumsit *Grotius* Papatu. David non sustinuit pœnam post veniam, licet castigatus fuerit per paternam gratiam. Culpat eos etiam *Grotius*, qui *laxent veniam ideo, ne cum vita simul spacium pœnitendi præcidatur. Sed pium hic providere statuit Magistratum, ne quis in supplicium, nisi dato tempore, ad peccata serio detestanda, rapiatur.* At vero violentia mortis vetat liberam pœnitentiam venire, nec magis a tortura, Scripturis sacris ignoto ad edendam veritatem adminiculo, expectari potest confessio veritatis, quam a denunciata atroci morte solatium & spes ad vitam pœnitentis. Interea, quæ introduxit justitiæ amor, in dandis exemplis, ne proterve mali, sine pœna, grassentur, & bonis tranquillitas vitæ facultatumque custodia adimatur, merito ea etiam Magistratus sancti officio relinquuntur.

§. 6. Certe nova hic pro danda venia mortis aperitur causa Magistratui Christiano, quia manu truculenta carnificis avertitur animus passuri extrema peccatoris a charitatis communione, quam sibi negari credit a severitate Magistratus; Simul & avertitur maxime a confidentia status filialis, in quem per veram pœnitentiam, sin spacium vitæ pro illa solide locanda & testanda concederetur, remittitur; Possuntne autem beata morte discedere, qui extra commercium charitatis & absque status fidelis confidentia e vita exturbantur?

Ergo

Ergo facilior debet esse Magistratus secundum pietatem Christianam, in servanda per commiserationem peccatoris vita, quem sine vera poenitentia non potest comitari salus, quam in merita pœna mortis per justitiæ rigorem irroganda. Manet nihilominus salva disciplina legum, ut aliquando exempla dentur vindictæ in terrorem aliorum, & ostensa remissionis lenitate alii in charitatis exercendæ commercium, & vindictæ aversionem alliciantur & deducantur. Sic novo Regno Christi, quod gratiæ, quod Charitatis est, ut boni cives conformamur.

§. 7. Acclamat etiam *ipsa justitia DEI* exercitio misericordiæ, in pœnis capitalibus immutandis, aut prorsus auferendis; cum poenam omnem effuderit pro omnibus in Mediatorem JESUM, nec possit porro poenæ subjicere, salva sanctitate sua, liberatum ab ea peccatorem per meritum Mediatoris. Non exigendæ igitur denuo sunt poenæ capitales, quæ jam in vade sunt exactæ. Aut, si mors per carnificem inflicta non pro pœna, sed pro castigatione computanda est, hæc jam non cogente justitia, & a legum vindicta eveniet, sed residebit in arbitrio Patris, filium, ut videtur, coercentis; quæ rectissime habent, ad gratiam Magistratus liberam asserendam.

§. 8. *Si* peccatis enormibus, & homicidio præsertim malo animo perpetrato, constituta poena capitalis, est mandati absoluti & illimitati, ea tum in nullo delinquente potest, absque dispendio salutis æternæ, dimitti. At dimittitur variis casibus, ut supra vidimus, & ab ipso DEO non attenditur; Igitur illimitati mandati pœna non est, etiam in V. Testamento, sub rigore

 legali.

legali. Rex David, Filium Thecoënæ Matris a pæna mortis absolvebat, pœnitentem parricidam filium Absolonum recipiebat in gratiam, & recepisset denuo post rebellionem in se motam, si Joabi iram ferrumque evasisset. Parcebat certe & *Joabo*, Sicario opimorum ducum, cui & Salomon pepercisset, si pœnitentiam solidam demonstrasset, omissa nova adversus Regem conjuratione. In Novo autem Testamento quam est amica facies promissæ, & exertæ per meritum exantlatum Servatoris, misericordiæ? quam non tam pœna mortifera legis, quam gratia vivifica Evangelii est prædicanda? *Tertullianus adversus Judæos* hæc habet: *Vetus Lex ultione gladii se vindicabat, & oculum pro oculo eruebat, & vindictam injuriæ retribuebat. Nova autem clementiam designabat.* Hac occasione resolvi meretur quæstio, *An quædam pœnæ ita sint naturales legi divinæ*, ut, nisi exigantur, ipsam legis naturam convellant? Respondetur 1. omnem legem (nisi *regulæ* tantum nomine veniat) in sinu suo, neglectam & violatam, in genere subinferre pænam, quam si eo sensu naturalem velimus dicere, quod absque pœna lex non violetur, nil videtur dici a vero alienum. 2. Si legi diserta est adjecta & specialis pœna, ea constituta peculiari ratione a Legislatore, a voluntate ejus dependet. *Omnis igitur lex diserta ratione pœnalis, non habet pœnam comitem, quæ non exacta legem convellat*, cum salva Legis sanctitate Legislator aut pœnam exigat, aut omittat. Ita in criminibus Legi naturæ adversis, Lex quoque violatoribus suis pœnam insinuat; sed quam specialiter Legislator expresit, voluntaria est, & potest mutari; aut: si Legi poena substituti vadis satisfiat, a reo prorsus amove-

amoveri. Divinæ adeo Leges non carent vindicta, quam exercent vel in reum, vel in vadem rei; nec potest salva justitia lex sanctitatem tueri suam, nisi violatoribus decernatur pœna; & ita pœna est Legi naturalis. Homicidii dolo perpetrati pœna divina est, mors homicidæ a Magistratu inferenda; Non autem ita est dictata, ut aut non posSit mutari, aut non tolli; præsertim in Testamento gratiæ, in quo rigor poenalis non est tenendus, ut teneri debuit in V. Testamento.

§. IX. *Summam dictorum* ad propositam quæstionem sequentibus membris colligemus. 1. Omnis Magistratus jus habet disponendi, ex dignitate, qua per ordinationem DEI pollet, in poenis etiam capitalibus, ut fuerit ipsi prudenter visum. 2. Magistratus Christianus, ex statu regni gratiæ & Novi Testamenti, potest poenam capitalem mutare in aliam, aut prorsus tollere, in vere poenitenti. 3. Aliquando tenetur etiam per solidas facti circumstantias, aut poenitentis axiomata, tollere poenam prorsus, & castigatione leni veniam desideranti dare. Illustremus exemplis, quæ dicimus: Ante aliquot, ni fallor, lustra, *in agris Megapolitani Ducatus* nobilis quidam duello congressus interfecerat adversarium. Profugus inde ob metum vinculorum & mortis; ultra viginti annos stipendia exteris bellis faciendo militiæ gradibus optimis inclaruit, animumque frugi bellicosum & virtuti deditum ostendit. Placuit ipsi in Patriam, ut facti dudum præteriti immemorem, aut saltem ut correcti, judicem benignum, redire. Reditu ad Principem delato, de consilio judicis criminalium causarum in carcerem

traditur, tot annorum decurſu mutata mente & moribus correctis vere poenitens duellator. Diſcutitur cauſa magno molimine, & exteri JCti multo numero ad ferendam ſententiam invitantur. Cæterum rigori legali dediti plurimi capite plectendum percuſſorem pronunciant. Erant in aula Principis nonnulli, qui in mitem diſcendebant viam, & vita donari poſſe reum recte autumabant. Sed Princeps legum divinarum, ſeveræque poenæ contuitu ſcrupulis conſcientiæ erroneæ vexatus, dimittere ſe velle reum absque poena capitis recipit, ſi conſiliarii ſui vellent in judicio divino ſe ideo ſiſtere, & pro Principe cauſam, ut innocente, perorare. Illis metu perculſis & negantibus, ſe id poſſe, Princeps optimum nobilem & perſtrenuum militem gladio puniendum decernit. Quo facto ſine dubio nec miſericordiæ Chriſtianæ, nec charitati, nec juſtitiæ divinæ fuit ſatisfactum. Alium *in Hasſia* ad gladium duci videbam, juvenem viginti quinque annorum, equitem militarem, manu promtum, judicio animoque obfirmatum, qui ebrietate victus in via publica a cive quodam prædam egerat ſex talerorum. Captus conjiciebatur in cuſtodiam; in qua ſerio dolens facinus, & in DEI, mutata Religione falſa cum vera, gratiam traductus, deprecabatur mortis ſupplicium, Theologis etiam Academicis ejus cauſam per intercesſionem tuentibus. Sed rigor legum poenitentiam ſuperabat, & cogebatur mori, admodum invitus, primo juventutis vigore optimus miles. Hæc talis acerbitas merito exulat a Chriſtiano Magiſtratu, quæ non tam favorem DEI, quam vindictam non exhibitæ miſericordiæ comitem nanciſcitur. Do aliud, ſed eventu in

miſe-

misericordiam exeunte. Occidebat *opilio quidam* alterum ejusdem conditionis socium pedo in cranium impacto. Consulit sibi fuga infelix; ex qua ab occisi vidua, pacta pecuniam de non vindicanda apud Principem mariti morte, retractus, in carcerem compingitur. Causa multis concertationibus a JCtis exteris, etiam pro rigore justitiæ ventilata, in judicio Medici sistitur. Hic eruto ex sepulchro cadavere, integris quinque annis condito, dubium faciebat vulneri, mortiferumne fuisset. Ita in absolutionem a pœna capitis Princeps animatur, qui poterat & absque illo judicio, utique post tot annos admodum fallente, sententiam gratiæ pronunciavisse. In eam benignitatem nuper respondit *illustre consilium Scabinorum*, qui Studiosum Theologiæ, singulari fato homicidam, pœnæ obnoxium, ab ordinaria liberam esse voluerunt, dictata fustigatione; quæ tamen &, si per respectum fuit pœnitentiæ, in mulctam recte commutata fuit. Provoco ad Acta nuper admodum agitata, quibus inquisitus & absolutus, a nobis nonnulla suæ conscientiæ petebat dari consilia, quæ libenter dedimus. Non potuit alienus a nostra sententia fuisse magnanimus Hassorum Theologus *B. Winckelmannus*, de quo fidam hanc habeo narrationem: Occiderat in tumultu nocturno digladiantium inter se Studiosorum, gladio non suo, sed alius, quidam suum commilitonem. Nox tumultusque, ut fit, cædis auctorem resciri vetabant. Hic conscientia sceleris fuga elabitur; quem nec commilitones, nec in causæ inquisitione judex pro socio facti habebant. Arguitur ex inspectione gladii is cædis patrator, qui suum esse aperte in judicio fatebatur;

Hujus

Hujus adeo morte sanguinem fusum judices censebant expiandum. Dies supplicio dictus ultimo advocat occisorem, se vindictæ meritæ objecturum, sin aliter a morte innocens liberari non posset. Adit D. Winckelmannum, expositoque suo facto multis lachrymis, gratiam veniamque, pœnitentibus a DEO per Christum promissam, a præcone gratiæ impetrat; Obstabat hactenus innocentis supplicium in sontem vertendum, id quod conscientia pœnitentis postulabat. Respondebat optimus Præsul; non esse eam necessariam manifestationem, nunquam Sacris literis pœnitenti mandatam; Se autem curaturum, ne moreretur innocens, postquam nocens se per veram pœnitentiam confessionario aperuisset. Cum qua fiducia clam dimissus est reus, & innocens a morte liberatus. Factum illustre, gratiæ Regni & status regii scientissimi Theologi. 4. *Tandem permanet sua prudens & misericordia immixta Magistratui in irrogandis extremis suppliciis disciplina.* Neque enim frustra gladium gerit. Ante annos non ita multos *in Ducatu Brunsvicensi* magna pessimorum hominum caterva in vincula fortunato inquisitionis successu detrudebatur; Inveniebantur in illa fures, latrones, homicidæ, Sacrilegi, Magi, & pessimæ cujusvis contagionis Empectæ. In his vario mortis genere exempla dabantur justissimæ severitatis, quæ tamen charitatis & misericordiæ fidelis temperamento condita, pœnitentibus & dolores cruciatuum mitigare, & spem ex solatiis gratiæ divinæ propositam arreptamque in patientibus poterant obfirmare, territis nihilominus aliis, & ab imitatione punitorum scelerum per exempla vindictæ alienatis. *Lutherum* nostrum in facinoro-

cinoro-

cinorosos impœnitentes declamitantem ita audimus; *Der Hencker ist auch ein barmhertziger Prediger, sintemahl bösen Buben sonst weder zu rathen noch zu helffen ist. Sie verderben sich und andere Leute mit ihnen, wo man die Barmhertzigkeit an ihnen nicht übete, und ihnen mit dem Schwerdt wehrete; wie dann GOTT das weltliche Schwerdt darum verordnet hat. Also ist auch das Kœpfen und Hencken, (ob es gleich schräcklich siehet und weh thut) ein Werck der Barmhertzigkeit, denn wo es nicht wäre, würdestu keinen Bissen mit Frieden essen, und keinen gantzen Fleck an deiner Haut behalten können. Auff daß solches nicht geschehe, muß unser HErr GOtt dem Hencker das Schwerdt, dem Väter und Mutter die Ruthen in die Hände geben, daß sie straffen und wehren, damit dem Ubel gesteuret werde.*

CAP. IV.

Resolutio Objectionum.

§. 1. In gravi conscientiæ causa non est dubitandum.

§. 2. Pœna in Decalogo dictata censentur a Magistratu non posse remitti.

§. 3. & §. 4. Declaratur dictum Genes. IX. 5. 6.

§. 5. Respondetur: Ab executione pœnarum non pendere tutamen Decalogi: Porro falsum esse pœnas lege dictatas ab homine non posse remitti; perperam confundi rigorem legis cum gratia Evangelii; Loca ad Ebr. X. 28. & Deut. XIII. 8. huc non pertinere. Argendo nullum expiari crimen; quod sanguine homicidæ dicitur expiari, cum grano salis esse accipiendum.

§. 6. Opponitur; Ex regula justitiæ male meritis pœnas deberi. Respondetur, misericordiam deberi pœnitentibus: quam Saul & Achab. non impertiebantur, anathemati divino

vino subjectos hostes dimittendo.

§. 7. Objicitur, facilitatem gratiæ dare ansam majori nequitiæ. Respondetur ex Augustino, vanum esse timorem.

§. 8. Tandem; Querelas Populi inde oriri, & rebellionem; Respondetur, contrarium fieri experientia teste.

§. I.

Cum in tam ardua, publicam disciplinam concernente, conscientiæ Christianæ causa, nil quicquam dubii in animo hærere debeat, considerabimus, quæ ex adverso sententiæ nostræ hactenus opponuntur, quibus examinatis elisisque prorsus, ultra non nutabimus in supra positis fundamentis. Videantur allegati Autores apud *Carpzovium* supra laudatum. Quibus addatur rigorosissimus *Dn. Oldkoppius*, in Decad. Saxonici juris Severus Censor.

§. 2. *Primo* hoc habent: *Quemadmodum Majestatica potestas, criminalem ob politicas duntaxat rationes introductam pœnam facilius condonare potest, ita a nemine remitti possunt eæ pœnæ, quæ ad auctoritatem Decalogi tuendam a DEO ipso sunt sancitæ. Enarrantur inde peccata, quæ lege divina dictatam mortis pœnam habent, Homicidium, adulterium, blasphemia, sortilegium, Sodomia, ubi Principum quorundam consvetudo improbatur, qua in doloso etiam & deliberato homicidio reis veniam & pœnæ remissionem indulserunt.* Homicidii enim facinus maxime hic censent respiciendum, cui cum eximia severitate divina multis scripturarum locis pœna adeo sit exaggerata, ut Princeps humanus, etiam supremæ majestatis, eum non possit, salva gratia DEI & salute populi, intermittere, *cujus misericordiæ species improbetur.*

In cœde hominis cumprimis prohiberi, ne precium ullum ab homicida ob vitam accipiatur, cum unica expiationis forma ponatur, effusio sanguinis homicidæ, quæ & prima & antiquissima de vindicanda interfecti nece Lex sit. Vid. B. Carpzovius in Crimin. B. Brunneman de forma inqvisit. c. 8. §. 55. Heringius de Homicid. doloso, & append. ejus.

Deuter. XIII. 8. Hebr. X, 28. Exod. XXI, 12. Num. XXXV, 31. Genes. IX. 5. 6.

§. 3. Quam ad illa respondeamus, locum ex Genesi ante explicabimus, in quo, ut legem antiquissimam exprimente, collocanda videtur vis præcipua oppositionis. Verba sanctionis divinæ hæc sunt: *Etiam sanguinem vestrum animarum vestrarum requiram illum, & de manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis; Effundens sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundetur, quia in imagine DEI fecit hominem.* Repetitur prærogativa hominis præ omni sub cælo creatura, cui Rex erat datus a Creatore. Inde sanguis ejus adeo pretiosus esse docetur, qui sit vindicandus etiam in bestiis; imo, qui inter homines ipsos, ut fratres unius sanguinis ita sit æstimandus, ut nequis alter alterum occidat; occisi enim sanguinem Magistratus ordinati gladio esse reposcendum, fuso sanguine homicidæ. Paraphrasis Onkelosi recte explicat illa: *Quicunque effuderit sanguinem hominis, cum testibus per sententiam judicis sanguis ejus fundetur.* Forma scilicet judicii, in quo præsidente judice, testes cœdis audiuntur, & reus mortis condemnatur; Interprete ipso sanctissimo Legislatore, vindictam sanguinis postulante non nisi sub testibus duobus aut tribus. Quem juris & vindicandi humani sanguinis processum eo loco repetitum & denuo inculcatum esse existima-

Deut. XVII. 6. XIX. 15. Num. XXXV. 30.

mamus, non primo post diluvium universale institutum; cum multitudo populorum primi mundi non potuerit esse absque ordinatione DEI inter regentes, & his parentes. Quæ primordium suum tenuit in Patria familia, in qua liberi subduntur per naturam suis genitoribus, DEO sic volente, & per legem Decalogi quartam decernente, in qua & Magistratus in populum institutio fundatur; ut videamus in omni multitudine hominum necessariam esse, ut membrorum corporis sub capite, subordinationem. Quod enim DEVS in expulso fratricida Caino sibi dicitur sanguinis humani vindictam ita reservavisse in primo mundo, ne ab homine illa fieret, sine solida causa videtur; cum DEVS cavens vitæ Caini per gratiam, eum voluerit pœnitentia acta ad statum misericordiæ cœlestis, per annunciatum seminis benedicti muliebris futurum meritum venire, & hoc primi homicidii omissæ pœnæ exemplo docere, nolle se mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Nonne credemus etiam, Adamum pro filio primogenito apud DEVM intercesfisse, ne occideretur, & hanc esse factam gratiam obtentamque intercedenti? Quam DEI cum considero benignitatem, adducor, ut credam, Patri familias, qui, ut judex simul & vindex sanguinis innocentis ordinatione DEI fuit constitutus, tacita exceptione pœnæ, in filios homicidas, ob amorem paternum non nisi difficulter exundantis, DEVM indulsisse, ut vitæ filiorum parcere possent, castigatione alia substituta, quod videre licet in *Jacobo* Patriarcha, Filiorum *Simeonis & Levi* in Sichemitis abominabilem occisionem indignatione quidem acri, non autem morte compensante;

In

In Rege Davide, Absolomum post exilium trium annorum tandem in gratiam restituente.

§. IV. Vindicandus fuit sanguis per hominem, DEI locum in terra obtinentem; quemadmodum particula בְּ in בָּאָדָם recte dicitur significare vim *instrumenti*. Quæ oppido urgenda sunt adversus fanaticos *Anabaptistas & Socinianos*, auctoritati Magistratus admodum inimicos, & divinæ ordinationis turbatores, quibus millenarii regni figmento accedere nonnullos non dubito. Lex sancta est; *Quicunque sanguinem hominis effuderit per hominem sanguis fundetur, quoniam in imagine DEI fecit hominem.* Declaravit mentem sanctissimus Legislator ipse, intelligendam esse legem 1. de sanguine effundendo malitiosi percussoris, ut eximatur, non malitiosus, & involuntarius. 2. De effundendo per legitimum Magistratum, ne quilibet sibi jus sumat vindicandæ necis 3. de convicto percussore non per unum testem, sed plures, ne credatur necessitas absoluta tollendi percussoris, ad expiandum homicidium perpetratum. 4. In politia populi DEI sub magno jugo variarum Legum constituenda, in qua cum rigore magno in homicidas jus dicebatur; Videantur dicta Scripturarum superius allegata. 5. Cum licentia mutandi rigoris in gratiam sub regno Christi gratioso, quæ sunt superius declarata.

§. V. Respondemus jam, 1. Tutamen auctoritatis tabularum Decalogicarum non esse ab executione pœnarum violatoribus legis dictatarum, sed a minis, & denunciatione earum, de seria justitia, DEI ejusque sanctissima voluntate contestantium; quod constat a remissione pœnarum pœnitentibus promissa,

& identidem ſub legis rigore non exacta; Si autem legum auctoritas perſiſteret in pœnæ irrogatione, non poſſet violatori remiſſio obvenire, ne legislatoris majeſtas in lege minueretur. 2. Falſum eſſe, pœnas in Lege dictatas a nullo homine poſſe remitti; cum DEVS judicem humanum ſuo loco conſtituerit, qui etiam in veteri Synagoga cognoſcendis cauſis erat præpoſitus, & ſæpe, omiſſo rigore, benigniorem ſententiam ob ſonticas rationes ſequebatur. Ita Joabo pepercit, percuſſori Ducum præcipuorum, David, & Filio ſuo. Ita adulterii pœna prætervidebatur, ſi maritus miſericors peccatricem non deferebat. Quæ in Joſepho, Sponſo Virginis Mariæ, laudatur humanitas charitatis; & rigor legis a Servatore contra adulteram ex conſcientia judicum peccatorum mitigatur, & tollitur. Quod fieri in uno potuit peccato, id & in ſimilibus. Inde perperam ſentire omnino exiſtimo, qui pœnas lege divina, homicidio & ſimilibus peccatis dictatas, legi quaſi naturales volunt eſſe, ut homicidii pœna conjuncta ſit expiationi, quam fieri non poſſe credunt, niſi pœna exacta; At pœnæ Magiſtratui commiſſæ temporales ſunt, & mutabiles; imo, præſtita juſtitiæ aliena ſatisfactione, prorſus evaneſcunt; Male igitur ſub rigore naturæ ita explicantur; Utut recte monſtraverit *Dn. Heringius* atrocitatem homicidii doloſi integra tractatione; ab atrocitate tamen irremiſſibilitatem ejus apud Magiſtratum Chriſtianum non evicit. In qua ſententia etiam, ex juſtitiæ ſeveritate deprehenditur fuiſſe, vir pietate ac conſiliis juris copioſiſſimus,

&

& Germanorum JCtorum facile Princeps, *B. Brunnemannus*, quando in *Processu Inquisitionis* dissvasit judici promissionem vitæ, qua reum intendat ad confessionem homicidii perducere, quoniam contra legem divinam facta promissio non possit servari. Ast servatur merito promissum, quando cum voluntate Legislatoris optime componitur, ut est in causa præsenti. 3. Male admodum confundi rigorem Testamenti Veteris, cum gratia Evangelii, per quam severitas pœnalis in executione prorsus in credentibus in Filium DEI Mediatorem est sublata, attestante toto statu Regni Christi gratiosi. Repetantur hic, quæ superioribus capitibus habuimus. Nequaquam igitur improbanda est consuetudo bonorum Principum, si causis homicidiorum prudenter cognitis, magis amaverunt in misericordiam erga pœnitentes, quam justitiæ severitatem concedere. 4. Locis ex *Deuteronomio*, & *Epistola ad Hebræos* allegatis, non improbatur misericordia pœnitentibus homicidis in N. Testamento exhibenda, sed primo loco agitur de occidendo seductore ad cultum idolorum, quod peccatum cum homicidio comparatum in N. T. si pœnitentiam habeat sequentem, sine dubio remittitur, tota Ecclesia Veteri & Nova attestante, quicquid dicant Tyranni papæi. Ad *Hebræos* autem traditur discrimen pœnarum V. T. dictatarum, in peccatis per testes evictis, & pœnæ, quæ secutura sit peccatores in Spiritum S. veniam nullam obtenturos; de quo peccato alibi disseruimus. Rigor etiam legalis in peccata per testes ostensa non tan-

tum

tum ſtringebat peccatores, in expreſſam legem decalogicam delinquentes, ſed & in violatores Leviticarum Ceremoniarum, in quibus violatores Sabbathi, absque miſericordia intercedente puniebantur. 5. Pecunia nulla criminum pœna capitalis poterat redimi, ne judicii integritas pateretur, & quod in cauſa homicidii, pretio ſanguinis humani nullum argentum aurumve reſponderet. Quæ in N. T. valent rationes, ſi corrupto judicio, in ſententiam judex mitem labatur. 6. unicam expiationis cauſam, qua DEVS terræ propitiaretur, fuiſſe ſanguinem homicidæ, lege forenſi Judæorum conſtitutam concedimus. Sed cum grano ſalis, ne unicæ omnium peccatorum expiandorum cauſa vera, quæ & pro homicida valet, valorem minuamus; quin hæc unica cauſa faciebat, ut homicidium non vindicatum a judice humano, populo aut terræ non imputaretur, vera pœnitentia in percuſſore aut populo correctum. Sic gratiæ facies Novi Teſtamenti etiam vetus irradiabat.

§. VI. *Secundo* opponunt, *ex regula juſtitiæ ſuum cuique tribuendum eſſe, innocentibus & bene meritis proemia, male meritis condemnationem & pœnas*, quæ judicii adminiſtratio magiſtratibus commendetur.
Ierem. XXI. 12. XXII, 3. Hanc eſſe ſtricte obſervandam, niſi malint audire terribilem prophetæ allocutionem, *Achabo* Regi factam; *Quoniam virum morte dignum dimiſiſti, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Aut cum Rege *Saule* regno dejici, ob intempeſtivam in Regem Amalekitarum miſericordiam, aut

1. Reg. XX, 43. 1. Sam. XXXI. 4. 2. Sam. XV, ſeqq.

aut cum *Davide* audire criminationes Populi & probra ob impunitum Absolomum fratricidam. *Respondemus* 1. Ita commendari administrationem justitiæ Magistratibus, ut magis commendetur clementiæ in peccatores pœnitentes beneficium; Habeant pertinaces male feriati judicem severum; Sed correcti & corrigibiles miseri offendant misericordiam, quam credunt sibi fieri de bonitate Redemptoris, ut & judex Christianus exemplo tanto motus gratiam largiatur. An plebi solum dictum est; Estote misericordes, sicut Pater vester in cœlis misericors est? Nonne & Principes intelliguntur in Catalogo beatorum; *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur?* Nonne potentibus dicitur; qui ut divites protrahunt in tribunal miserum? *Damnatio absque misericordia ei, qui non præstiterit misericordiam; & gloriatur misericordia adversus damnationem.* Jac. II. 13. Nunquam intempestiva est misericordia, quæ tempore gratiæ secundum pietatem pœnitentibus exhibetur; Crediderim, pio Principi potius dolendum in dicundo jure exertum pœnis rigorem, quam gratiosæ remissionis sententiam in pœnitentem promulgatam. Certe ad judices terrarum pertinent, quæ *Psalmo secundo* tractantur; *Reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram; Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, osculamini Filium, ne quando irascatur, & pereatis de via justa.* Regnum Christi est gratiæ regnum, in quo charitas imperat, & officia distribuit inter imperantes æque ac subditos illis; Peccatores sunt omnes; facilis est oblivio gratiæ in computatione potentiæ & majestatis humanæ; temperamentum justi-

tiæ Principum virorum eſt in oſculo Regis Sion, peccata remittentis magnis & parvis; exaudit is implorationes credentium in ſe, cum a morte deſiderant liberari, qui & hujus & futuræ vitæ auctor eſt. *Factus* Pf. IX, 10. ſeqq. *eſt enim Dominus refugium pauperi; adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Et ſperant in Te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.* Reſpondemus. 1. *Accbabi & Saulis* hoſtibus DEI & anathemati ſubjectis præbitam vitæ gratiam, non eſſe miſericordiam vocandam, quæ condemnatos diſerto DEI judicio non curat; ſed eſſe inobedientiam, mandato interfectionis expreſſo contrariam, quale mandatum non devincit Magiſtratum pium in diſciplina morum obſervanda; igitur duræ Prophetarum Regibus illis factæ comminationes alios non ſtringunt. Davidem, neglectam in Abſolomo mortis vindictam, opprobria populi, & DEI iram expertum eſſe, nusquam docetur, quæ jam §. 5. declaravimus.

§. VII. *Tertio* opponunt, propterea in crimine homicidii Principem reo veniam largiri non poſſe, ne & huic & aliis hac facilitate anſa detur, & porta ulterius delinquendi aperiatur. Auſcultandum eſſe dicterio Morionis Regii in aula Galliæ, qui homicidii trigemini reo culpam de primo tantum imputarat delinquenti, de ſecundo autem & tertio ipſi Regi, quod primum & ſecundum morte non vindicaviſſet dictanda. Reſpondeat *Auguſtinus*; *Hæc cum acci-* Epiſt. 54. *dunt, debemus illis humanum dolorem, non propter illa, ne accidant, recte factorum reprimere voluntatem. Sequuntur aliquando, cum intercedimus pro damnando, &*

is

is nostra intercessione liberatur, quæ nolumus, sive in ipso, ut vel immanius impunita grassetur audacia, subdita cupiditati, ingrata lenitati; atque unus morti ereptus plurimos necet; vel ipso per beneficium charitatis datum in melius mutato, moribusque correcto, alius male vivendo pereat, sibique, bujus impunitate proposita, talia, vel graviora committat; non bæc mala nostræ intercessioni, aut commoto per illam judici sunt imputanda, sed potius illa bona, quæ remissionis impetratione contuemur & volumus, id est, commendatio mansuetudinis ad conciliandam dilectionem verbo veritatis, & ut, qui liberantur a temporali morte, sic vivant, ne in æternam, unde nunquam liberentur, incurrant. Prodest adeo aliquando & severitas judicum, cujus ministerio quies adjuvatur, & lenitas intercedentium, cujus ministerio severitas temperatur. Non displiceat judicibus, quod rogantur a bonis; quia nec bonis displicet, quod judices timentur a malis. Sicut dilectionem jussi sunt terrentibus debere, qui timent; ita dilectionem jussi sunt timentibus debere, qui terrent. Non solum plectendo, sed & ignoscendo boc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Quod si tanta est perversitas & impietas, ut ei corrigendæ nec disciplina possit prodesse, nec venia; a bonis tamen intentione atque conscientia, quam DEUS cernit, sive severitate, sive lenitate, nonnisi officium dilectionis impletur. Morionis Galli dicax responsio Principi imprudenti & in judicando levi poterat, non pio & prudenti, opponi. In bona fideique intentione non attendendi sunt adversi eventus, sed consilium bonæ de præsenti voluntatis.

§. VIII. Quod ultimo urgentur *graves, ob neglectam disciplinam, in Principem populi querelæ,* & vel in-

ſurrectio in rebellionem ; Nec hæc incommoda animum pium dimovebunt a propoſito juvandi miſerum per charitatem ; cum & contrarium ſæpe eveniat, ut manſuetudine principis perſpecta, & charitatisvinculum inter cives muniatur, & peſſimi quandoque gratia magis, quam rigore juris in tramitem recti provocentur. *Nullum clementia ex omnibus magis*, ita Seneca, *quam Regem aut Principem, decet ; Ita enim magnæ vires gloriæ decorique ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt ; cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum quotidie experiuntur ; quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal e cubili proſilierit, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum & beneficum ſidus certatim advolant, objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit.* Hic rebellionis motum omnem querelasque populi a Principis clementia procul amovit. Valent hæc maxime inter Chriſtianos, quorum lex ſummma eſt Charitas.

Halleluja !

ADDI-

ADDITAMENTUM
Ex
IOHANNE SARISBURIENSI,

Lib. 4. Policratici, cap. 8.

Erat Imperator Trajanus natura Clemens in omnes, austerus in paucos, quibus parcere nefas esset; adeo, ut totius imperii sui curriculo, unus damnatus sit Senatorum nobiliumve urbis, licet inveniantur plurimi in ipsum graviter deliquisse. Hic autem a Senatu damnatus est, ignorante Trajano. Dicebat enim insanum esse, qui oculos si habebat lippientes, eos malit effodere, quam curare; Ajebat enim, ungues, si acriores fuerint, resecandos esse, non avellendos. Si enim citharœdus, aliique fidicines, multa diligentia procurant, quomodo oberrantis chordæ compescant vitium, & eandem aliis unanimem reddant, faciantque dulcissimam dissidentium consonantiam, chordis non ruptis, sed tensis proportionaliter vel remissis; quanta sollicitudine oportet principem moderari, nunc rigore justitiæ, nunc remissione clementiæ, ut subditos faciat quasi unanimes esse in domo, & quasi discordantium in ministerio pacis & charitatis operibus, unam faciat perfectam & maximam harmoniam? Hoc autem certum est, quia tutius est chordas remitti intensius, quam protendi. Remissarum namque intensio artificis peritia convalescit, & debitam soni reddit gratiam; sed quæ semel rupta est, nullo artificio reparatur. Profecto si sonus exi-

exigitur, quem non habent, frustra tenduntur, & sæpe citius venitur ad nullum, quam ad eum, qui nimis exigitur. Ait Ethnicus:

Est piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Alterum namque justitiæ, alterum pietatis est, quæ adeo Principi necessariæ sunt, ut quisque sine illis non modo principatum, sed quemlibet magistratum vendicat frustra, se ipsum irrideat, sed & aliorum in se provocet risum, contemptum & odium. Misericordia, inquit, & veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo, & scribe eas in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Gratia namque debetur misericordiæ, justitiæ disciplina. Utique gratia & amor subjectorum, quam divina perducit gratia, optimum instrumentum est omnium gerendorum. Sed amor sine disciplina non proficit, quia cessante justitiæ stimulo, populus se in illicita resolvit.